

PAVSANIAE VE  
TERIS GRAECIAE  
DESCRIPTIO.

Romulus Amatus verit.

*Accessit verum in hisce libris  
memorandum locupletissi-  
morum index.*

L. Torrentinus Ducalis Typographus excudebat.

FLORENTIAE. M D L I.

# R O M V L V S<sup>3</sup>

A M A S A E V S A L E  
XANDRO FARNESIO  
CARDINALI PAVLI III.

PONT. MAX. NEPOTI

S. P. D.



VM Sæpe animaduerterim, Ale  
xander Farnesi, solere te ab. assi  
duis curis, atque occupationibus  
quasi respirantem, vel in literato  
rum hominum sermone, & con  
suetudine, vel in optimorum scri  
ptorum lectione conquiescere, de  
variis, ac multis lucubrationibus  
meis, latinè iam, ni fallor, mea  
opera loquentem Pausaniam, tibi,  
cui iam pridein, non magis fortunæ amplitudine, quam  
virtutis tuæ adductus excellentia, me ipsum addixi, no  
minatim dedendum censui: non quia Græcorum austro  
rum à puero lectione assuefactus, Græca illum vtentem  
lingua non fueris planissime intellecturus, sed quod omni  
no Romani Principis auribus Latinæ orationis sonum  
aptiorem, & grauiorem fore exultimai. Atque is quidem  
veterem Græciam in libros decem descriptam oculis penè  
subiiciens, parcm propè tibi voluptatem poterit apportare,  
ac ipsa solita est ad exteros Europæ populos suscepta iam  
toties peregrinatio: Cum peradolefcens, magna cum tua  
laude, Hispaniam, Galliam, Germaniam, de maximis  
Reip. negotiis legatus obiisti. Atque eo tibi erit fortasse  
lectio huius historiæ iucundior, quod quæ iemel placue  
rint loca, non ut illa cursim, & festinaanter, sed inter que  
scendum, quoties libitum fuerit, licebit reuiscere. Neque  
vero te magis (credo) eas regiones animo lustrantem, in

A

P A V S A N I A E  
VETERIS GRAECIAE  
DESCRIPTIO.

Romulus Amasæus uertit.

A T T I C A.



N ea continentis Græciæ parte, quæ Cycladas Insulas, & Aegæum mare spectat, Sunium prominet Atticæ promontorium, in cuius ora portus, in vertice Suniadis Mineruæ templum est: Hinc porrò nauigantibus breuis ad Laurum via: vbi olim argéti metalla Atheniensibus fuere. Proximè iacet parua, ac deserta Insula (Patrocli dicitur) quod Patroclus præfectus Aegyptiarum triremiū, quas Ptolemaeus Lagi filius Atheniensibus auxilio misit, clam occupatam, muro eam & vallo muniit: Cum Antigonus Demetrii filius ipse cum exercitu agrum popularetur: Et maritimam partem classe obsecram teneret. Piræus verò, antequam Themistocles ad temp. accederet, non nauale, sed curia fuit: Nam Phalerum (ab ea enim parte, ut minimum vrbs distat à mari) nauale fuerat. Vnde & Menestheum cum aliquot nauibus ad Troiam, & Theseum multo ante, in Cretam, Minoi ob Androgei mortem poenas daturum, soluisse, memorie proditum est. At Themistocles, posteaquam summa rerum præfuit, quod multo opportuniore loco nautis Piræa sitem putaret, cum pro unico Phaleri, triplex eius portus esset, in eo nauale exædificauit: Et nauium quidem stationes ad meam usque atatem stete-re. Et non longè à maximo, de tribus, portu, Themistoclis sepulchrum: Si qui dem Athenienses, sibi aliquando facti in Themistoclen penituisse tradunt, atque eius ossa ex Magnelia recepta, ab ipsius necessariis in patriam reportata. Themistoclis sane liberos constat reduces in Parthenone tabulam eam dedicasse, in qua etiam ipse inest pictus Themistocles. In Piræo verò quæ spectentur, hæc sunt. Iouis, & Mineruæ fanum: Aenea sunt deorum signa. Iupiter sceptrum, & victoriā: Minerua hastam tenet. Eodem in loco Leosthenes, eiusque liberos pinxit Arcesilaus. Hic ille est Leosthenes, qui Atheniensium atque aliorum Græcorū dux, Macedonas duobus præliis vicit: Vno in Bœo-